

liter apparent, super capitaque omnium columpnarum ipsius Maximiani nomen sculptum est; monasteria verò parte Virorum &c. Monasteria autem, seu Oratoria hujusmodi, licet etiam longius à Basilicis construerentur, primitus tamen non nisi circa Basilicas edificata facile demonstrari possent. Quod quidem passim factum, exemplo sit non modo Vaticana vetus Basilica, quam exhibent inter ceteros eruditissimus Ciampinus in Opere de Antiquis Constantinis Edificiis, & novissimè Bonanus in lib. de Summorum Pontificum numismatibus Prodromi loco exhibitio ad celeberrimum toto Orbe Vaticanum Templum spectante, sed & in presenti S. Felicis in Pincis prope Nolam Basilica facies. Immo & id recentius apud Monachos consuevisse, probatur ex Cavenis Monasterii Ecclesia, in qua Corpori medio, quod Capsum Gregorii Turonensis vocabulo appellare liceat, circumposita Sacella apparent parietibus ipsius Capsi adhaerentia; inter quæ illud ex Odæi parte situm est, in quo antiquissimorum ejusdem Monasterii Patrum Sacra Lipsana conduntur; adestque factò aliquorum graduum descensu alterum, ubi ex antiquissimo more Defunctorum corpora sepeliuntur ossibus proinde, scheletisque referuntur. Ejus rei originem ex eo petere debemus, quod cum minimè liceret intra Basilicas mortuorum corpora sepelire, circa easdem tamen Cœmeteria fieri fas erat, ubi paulatim, vel singulorum id ferente ingenio, vel Præsulum efficiente religione, Sacella, quæ Agnello Monasteria dicuntur, sunt condita. Hinc arbitror à circumpositis Sacellis Basilicas ipsas ex Martyris nomine, cui dedicate erant, Cœmeterii quandoque vocabulo nuncupatas. Sic Innocentius Papa, episc. primà ad Decentium; non longè portanda sunt Sacramenta, nec nos per diversà Cœmeteria constitutis Presbyteris destinamus. Quare & laudata Nolana S. Felicis Basilica Cœmeterii nomine, ob circumpositas minores adiculas, Fidelium sepultura dicatas, (in quibus & modò Arca, & Sarcophaga spectantur, & præterea ingens ossium multitudo collecta visitur) vocabatur, quod proinde in corruptam Cimitini vocem tandem abiit. Locum Paulinus episc. 12. ad Severum à Muratorio relatus explicat aptissimè, sed eo sermonis genere, quod ei, qui Basilica ipsius situm, & circumposita cubacula non vidit facile imponere poterit; etenim cubacula non eo pacto, quo recentiorum Basilicarum Sacella, sive, ut vocantur, Capella, ita inserta erant, ut Basilica facerent partem, sed parietibus tanquam septo à Basilica corpore separabantur, de quorum uno loquitur Paulinus versibus illis, qui Muratorio disserendi occasionem præbuerunt.

Cellula de multis, quæ per latera undique magnis

Adpositæ testis præbent secura sepultis

Hospitia;

quæ cellula omnes unam veluti cum Basilica media ædem faciebant, circumpositis murorum septis munitam, è quibus egressi cogitaverat manè factò fur, de quo Paulinus.

Harum unà fur abditur, atque ubi mane

Claustra patere videt, referatà profilit aulâ.

Aulam universam ædem intelligit. Ita porro sepeliebantur, quod optaverant Fideles, apud Sanctorum Martyrum memorias, ac ita Cynegii adolescentis Corpus in Beatissimi Felicis Basilica positum fuit à Paulino, qua de re Augustinus lib. 2. retract. cap. 64. à Muratorio relatus.

IV. Episcopis, quamvis à communi more recedere liceret, quorum proinde aliquos legimus intra Basilicæ septa, ac ad Athare ipsum sepultos fuisse,

A se, novimus tamen eorum plures, vel in aliquo ex circumpositis Sacellis, vel in Quadriportici parte Ecclesiæ adhaerente, quam Noster Ardican (vocabulo apud alios Scriptores ignoto) dicit, sepultos fuisse. Florentius in Monasterio S. Petronilæ hærens muris Ecclesiæ Apostolorum sepultus est. Liberius in Monasterio S. Pullionis. Petrus in Monasterio S. Jacobi ad Fontem Ecclesiæ Petriane. Post hunc, qui sequuntur, Episcopus in Basilicis locum habuisse narrat Agnellus, præter Chrysologum, qui cum sibi Sepulcri locum vivens designavisset, post Sedem Pontificis, & post Bina Templi S. Cassiani Forocornelensis sepultus fuit. Johannes autem circa Gregorii Magni tempora in Monasterio Sanctorum Marci, Marcellini, & Felicula, quod ipse à fundamentis edificavit apud Ecclesiam B. Apollinaris Civitatis Classis. Marinius in Ardica B. Apollinaris. Johannes in Ardica B. Apollinaris. Ita, & ejus Successor synonymus, quod & factum de subsecutis arbitror, licet sæpius Basilicæ nomen usurpetur.

V. Laicorum autem Nobiliores, qui Martyris alicujus devotione afficiebantur, ut post fata, quantum licebat, ipsius Basilicæ, Sacrisque Cineribus corpore vicini essent, sibi Cellulas hujusmodi, sive, ut Noster loquitur, Monasteria parietibus Basilicæ adhaerentia construi curabant, illaque pecuniâ erogata ornabant, ac donariis amplissimis ditabant. Sic Lauricius constructâ S. Laurentii Basilicâ, apud eam Sacellum SS. Stephani, Gervasii, & Protasii adiecit, ubi conderetur, & Arcam in id ex pellucido lapide præparavit. Singula Galle Placidie Neptis S. Zachariae Sacellum non longè à S. Crucis Ecclesia construxit, ubi & sepulta fuit, ac Galla ipsa Placidia Augusta ad ipsam S. Crucis Basilicam sibi Sacellum SS. Nazarii, & Celsi magnifico sumptu sepultura causâ construxit. Ex quibus omnibus tandem conficitur, partem eam, quam Subditam Agnellus vocat, extra Basilicam fuisse, ubi Opilio sepeliretur, ac fortasse ex ea Quadriporticus parte, quæ ad anteriorem mulierum partem pertinebat. Hæc in re satis obscura disseruisse sufficiat.

VI. Attilæ adventum Ravennam, de quo hic Noster Johannes ad Αγγλοπαια tempore accidere, non potuisse supra adnotavimus, & ipse Agnellus satis indicat postremis ejus vitæ annis accidisse, ubi ait; ex illo denique die non in tanta crudelitate perseveravit, & sine bello commisso ad proprium reverfus est Regnum; & post pauca; & post hæc omnia à vilissima muliere, cultro defossus, mortuus est. Paulus Diaconus ad Eutropium lib. 15 ait; ab Attila Aquileja subacta, igneque multata, exinde per universas Venetiæ Urbes, hoc est Vincentiam, Veronam, Brixiam, Bergomum, seu reliquas, nullo resistente Hunni bacchabantur, Mediolanum, Ticinumque pari forte diripiunt, ab igne tamen abstinentes, & ferro. Deinde Emilia Civitatibus similiter expoliatis, novissimè eo loco, quo Mincius fluvius in Padum confluit, castrametati sunt; & sequitur Leonis Papæ legationem, & territum Attilam narrans, regredientemque. Emilia itaque Civitatibus devastatis, & Flaminia limitibus superatis Ravennam accessisse consequitur, unde recedens mitigato animo, quod Agnellus tradit, fluctuansque an Romam accederet, quod ejusdem direptioni Alaricus non diu supervixisset, Leonis Sanctissimi Pontificis legatione demum territus in Pannonias remeavit. Hæc autem non nisi ad annum CCCCLII. fieri potuerunt, quo Johannes alter ab Angelopte floruisse evictum est supra. Formandes tamen de Regnor. Success.